

**1984-03-11 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Ecclesiae Romana’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**LITTERA DECRETALIS**

***BEATAE PAULAE FRASSINETTI FUNDATRICI  
SORORUM A S. DOROTHEA SANCTORUM HONORES DEFERUNTUR***

Ecclesiae Romana et Genuensis, iamdiu tot Sanctorum suorum gloria insignes, hodie profecto nova gemma, eaque lucidissima, ornantur: Paula Frassinetti, dicimus; cui si Genua parentes dedit, primisque laboribus ac coeptis eius fruita est, sane Roma nostra haec, Urbs aeterna et immortalis, in qua caelo nata est, haud parum contulit ad eius virtutis consummationem, ad eiusque apostolatus incrementum. In hac enim urbe eius tum ingenii tum animi laudes quam maxime enituerunt; in hac eius consilia invaluerunt de puellis erudiendis, aiat ad bonam frugem reducendis, si a virtute et ab honestae vitae consuetudine aberrassent, ut in pristinam christianae dignitatis speciem revocarentur.

Nata est autem piissima mulier, ut inuimus, Genuae, die tertia mensis Martii, anno MDCCCIX. Eodem autem die Baptismi aquis abluta est, eique indita sunt nomina Paula, Angela, Maria, non sine laetissimo omine. Dum autem bona filia a pia matre ad rectam religionem informatur, pater eius, nolens florem illum in publicis scholis forte innocentiam amittere, prima Litterarum rudimenti eam ipse docuit. Ceterum paulatim adolescens, Paula, quo erat ingenio, se ipsa magistro suffecit, magno cum fructu.

Cum puella nonum annum ageret, cara eius parens obiit; qua re, cum de illa, tum de ceteris amita curam egit. Quae tamen et ipsa triennio post perlit, anno videlicet MDCCCXXI. Tunc autem omne onus regendae domus in Paulam recidit duodecim annos natam, quae alacris patri atque fratribus adstitit, maxime minoribus. Ceterum omnes fratres, trahente gratia, suo tempore sacerdotes facti sunt. E quibus, cum Iosephus maximus natu, anno MDCCCXXVII, sacerdotio initiatus esset atque ad administrandam paroeciam Quinti pagi ad mare destinatus, Paulae suasit ut, valetudini consulens (timebant enim ne in phthisim incideret), apud eum se conferret ut puriore aere uteretur. Anno ergo MDCCCXXX, illa, venia patris habita, de eius valetudine solliciti, fratrem consecuta est.

Quinti autem Paula proprium charisma, seu donum, piene percepit. Nam Iosephus, cum in animo ei penitus insedisset ut puellas pauperiores paroeciae suae erudiendas curaret, aperto ludo Paulam praefecit. Ea vero occasione puellae, quibus non erat liberum scholam frequentare, illius captae virtute, postquam in eius consuetudinem venerunt ac prorsus cognoverunt, et admiratae sunt valde, et ei omnino adhaeserunt. Quare, mutata animi sententia, maluerunt cum Paula puellas erudire, quam se in coenobio Deo colendo dicare.

Anno ergo MDCCCXXXIV, die duodecimo mensis Augusti, Paula Instituti Religiosi Genuae-Quinti initium fecit, cuius asseclas «Filiae sanctae fidei» cognominari voluit, utpote quarum proprium esset propositum veritates revelatas propagare, per catechismi institutionem, in paroeciis tradendam. Cum tamen anno MDCCCXXXVIII Paula Lucani Passi, sacerdotem Bergomatem, cognovisset, qui opus a S. Dorothea condiderat, in eundem finem in quem Paula suum constituisset, haec numen Institute sic inmutavit, ut Sodales eius «Sorores a S. Dorothea» appellarentur. Ab eodem autem piissimo Viro, die quarto mensis Martii, eodem anno, probante Genuensi Archiepiscopo, cum Paula, tum etiam nonnullae magistrae atque adiutrices, vestem Religiosarum susceperunt.

Scilicet exordia Sodalitatis difficillima. Superavit tamen Paula fortitudine sua. Postposita ergo quavis rerum humanarum consideratione, beata mulier unite Deo confisa, tota in solidanda familia, inque educanda iuventute esse. Neque Deus tam fideli Servae non affuit. Nam, cum illa Romam venisset, ut Constitutiones a Summo Pontefice probandas curaret, sive Gregorius XVI, sive Pius IX, Decessores Nostri, in eius sane admirationem versi virtutis, eam maximi fecerunt. Iure. Nam Paula micuit in Romano caelo sicut stella, virtute et opere illustris.

Nata autem Romae in Iani colle, haud sine magnis difficultatibus, domus Religiosa quae non solum per apertum ludum educandarum puellarum domicilium esset, sed etiam Sedes nascentis Congregationis princeps. Ceterum, postquam anno MDCCCLXIII, Institutum a S. Dorothea est a Sancta Sede probatum, Sorores, quasi densum agium examen, in

Brasiliam, in Lusitaniam eiusque colonias, ad Melitenses Insulas solverunt, adque alias multas tum Europae tum etiam Americae Latinae oras.

Ad Paulam autem quod attinet, in gravissimo officio tuendo suavitate profecto atque prudentia maxime enituit. Fuit etiam cum videretur in animis legere, atque cordium cogitationes cognoscere. Auctoritati autem Summi Pontificis atque Episcoporum ita obsequebatur, ut eorum voluntas semper ei esset una norma ac regula agendi: nam in omnibus ad Dei gloriam animorumque salutem respiciebat: hoc erat enim eius pietatis insigne: Dei voluntatem «unitam gemmam» votare. Quare, saepe ingeminabat: «Voluntas Dei, fons gaudii mei». Quod etiam sic exprimebat, quasi Deo «albam chartam» dedisset.

Fiebat interdum ut aliqua e Sororibus mortem optaret, nempe ut esset cum Christo. Paula facete respondebat se, quem ad modum non Domino suasisset qua hora nasceretur, sic nec qua hora tolleretur suggerere velle.

Cum autem stet nullus Sanctorum ut vitae tentationibus careat, sic nec Paula fuit aut interioris animi doloris experta, aut persecutionis aculeis immunis, ut sunt: invidiae, calumniae, vituperationes, contumeliae, irrisiones, vexationes, similia. Quae omnia ipsa aequissimo semper animo tulit, id persuasissimum habens, suum Institutum iis gratiae signis tam fertile fieri, quam agium pluvia ac nocturno rore. Quo ergo asperius adversa tempestas fureret, eo frequentius haec Paula usurpabat: «Crucem nobis tunc ipsi instruimus, cum Dei voluntati non obsequimur: nam Dei consilia semper sancta sunt. Ceterum, cum voluntas nostra cum Dei voluntate congruit, nulla est Crux ferenda: nam parallelae lineae Crucem non efficiunt; at siquando voluntas nostra in Dei voluntatem transversa incurrit, iam Crucis imago formatur, neque ante rescinditur, quam in pristinam congruitatem reditur».

Nimirum haec illius nota pietatis, insignis et constans, enituit in omnibus Romanae vitae eventibus, laetis tristibus; in morte videlicet Gregorii XVI, inque electione Pii IX, Summorum Pontificum, in huiusque exilio Caietae et alibi in Neapolitano regno; in definitione immaculati Conceptus B. M. V.; in persecutione atque abolitione Religiosorum; in motibus Ecclesiae infestis, anno MDCCCLXVI; in celebratione Concilii Vaticani I, anno MDCCCLXIX; in ipsius intervallo ob captam Urbem; in Pii IX, Decessoris Nostri, obitu; in tumultibus tandem hostium Ecclesiae, occasione sepulturae humus Pontificis; in electione successoris Leonis XIII, quasi in captiva Urbe Vaticana facta.

At singularis eius animi fortitudo ac fides erga providentem Deum maxime patuit anno MDCCCLXVI, cum fere omnium prima, Sorores suas in Brasiliam misit; nam ibi magnis difficultatibus novorum locorum etiam sociales seu politicae accessere. Eodem anno, Paula etiam religiosam domum Lisbonensem condidit; quin illa auctore, coepit Sororum a S. Dorothea in Europam, Africam, Americam propagatio miro modo fertilis.

Neque tamen Dei famula solo studio regni Christi dilatandi, aut amore ac fidelitate erga Petri Sedem Apostolicam, ad quam semper in opere respexit, praestitit est enim et alia peculiaris virtus, propria Sanctorum, in luce ponenda: humilitatem dicimus, quae in agmine longo virtutum locum principem habuit. Atque recte Pius XI, Decessor Noster, occasione beatificationis Paulam ceu mulierem definivit, quae suspenso gradu terram attingisset (cf. Serm. die IV Maii, a. MDCCCXXX, habitum). Nam beata Dei famula, nedum censeret se esse aliquid in christiana vita excitanda circa se, rebatur, idque sincerissime, Institutum a se conditum, tametsi haud parva laude creverat tam egregia ratione educandi, ac tale iudicaretur, esse revera parvam rem; atque congruenter scribebat: «Tot inter Instituta, est etiam parvum Institutum a S. Dorothea, quo Deus benigne utitur ad studium illud in christianis parentibus excitandum, ut in religiosam filiarum suarum educationem incumbant. Id autem cum animo suo reputent Sorores: puellas, quae in domibus nostris instituuntur, mox uxores matresque familias fore, quantumque boni manare possit et muliere vere christiana, eademque religionis munerumque suorum studiosa» (E *Constitutionum* ratione, anno MDCCCLI conscriptarum).

Tam egregia mulier die undecimo mensis Iunii, anno MDCCCLXXXII, morte lumina clausit, longo morbo consumpta. Quam S. Ioannes Bosco invisens, ait filiis eius Sororibus: «Coronae Matris vestrae iam extrema manus accessit». Leo autem XIII, prudens Decessor Noster, qui profecto pluries et Beatam et eius Sodales laudavit, die decimo septimo Septembris, anno MDCCCLXXXII, cum vix tres menses a Paulae obitu abiissent, postquam Sorores a S. Dorothea – quae idcirco Romam venerant ut novam post illam Antistitam deligerent – ad sacrum admisisset a se in privato sacello celebrandum, ait illis: «Vocavi vos ut quodammodo de accepto detrimento sarcirem. At macte animo: Matrem vestram in Paradiso esse certum est. Vestra sancta Conditrix, cuius obitum lamentamur, cuiusque erga Ecclesiam beneficia sunt ingentia per suam Societatis institutionem, credite, iam praemium tulit, in Paradiso constituta. Mater vestra sancta est» (Capecelatro, *Vita*, p. 505).

Sanctitatis autem Paulae fama late manante, annis MDCCCXCVMDCXXXCVI, ordinarii Processus, iuxta leges eius temporis acti sunt, sive apud Romanae dioecesis Vicariatum, sive in Curia Genuensi; hisque actis, anno MDCCCXCVI Causa canonice introducta est, atque in iisdem Curiis Processus apostolici initi, per annos MDCCCXCVII-

MDCCCCXVII. Facto autem decreto de heroicitate virtutum, anno MDCCCCXVIII, die duodetricesimo mensis Augusti; probatis item duobus miraculis a Deo per Venerabilis Paulae intercessionem patratis, die sexto mensis Aprilis, anno MDCCCCXXX; tandem Summus Pontifex Pius XI, Decessor Noster, Dei famulam in catalogum Beatorum rettulit: quod die octavo mensis Iunii, anno eodem gestum est, in Basilica Vaticana, sollempnissima caerimonia.

Post autem actam Beatificationem, veneratio erga Paulam Frassinetti magna incrementa cepit. Nihil mirum ergo, si anno MDCCCCXXXV Causa resumpta est, ad eius nempe sanctificationem obtinendam. Igitur iterum initi Processus, tresque sanationes examinatae ac perpensae sunt, Beatae Paulae intercessioni attributae miraculique speciem praebentes; sed eheu ! cum non satis documentorum eis suffragaretur, Causa diu languit.

Sed ecce, anno MDCCCCLXXXI, die septimo Augusti, invocato nomine Paulae, Deus Mariam Maccarone, quae etiam Scuteri, matrem quinque filiorum, quorum tres vivunt, dominam annorum quinquaginta, improvise, perfecte, in instanti, sanavit a gravissima polyartride chronica, ob quam aegrotata, usu omnium corporis membrorum cum ea conexorum amisso, iacuisset in lectulo immobilis, supino semper corpore, ab anno MDCCCCLXVIII ad diem usque sanctionis, videlicet per tredecim annos. Tantum facinus est tum a medicis tum a Patribus Cardinalibus atque Consultoribus Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum vere miraculum iudicatum, de eoque qua tali est decretum anno MDCCCCLXXXIII factum, die quarto et vicesimo mensis Septembris.

Tandem, post suffragium die septimo et vicesimo eiusdem mensis Septembris in Consistorio datum; post diurnam rerum considerationem, et divinum auxilium invocatum, ad ritum Canonizationis beatae Paulae hodie devenimus, sic ut statueramus. Ergo in templo S. Petri, Romae, fidelibus utriusque ordinis referto, maxime vero e Sodalitate Sororum a S. Dorothea, sollempnissima caerimonia Missam celebravimus, ac suetam formulam pronuntiavimus, sic ut sequitur:

«Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatam Paulam Frassinetti sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eam in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recolere debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

His verbis prolatis, iussimus ut hae Litterae Decretales conficerentur; ac deinde sermonem habuimus de vita et egregia S. Paulae virtute, quam fidelibus imitandam proposuimus. Honores enim Beatis Caelitibus ab Ecclesia Matre tributos eo denique spectare nemo non novit ut frequens eorum invocatio ac liturgica ipsa celebratio secum simul inferat magnum fidelibus studium vestigiis etiam illorum ingredienti et egregia virtutum exempla in cuiusque vita rursus repetendi.

Hae vero Litterae nunc et in posterum ratae habeantur, contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.*

EGO IOANNES PAULUS  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*